

eo quod solvendo non est, modo ad meliorem fortunam non perveniat: *L. Cum, et fil. c. Qui bon.*, etc, licet dicat Layman, quod etiam ille in paupertate sua remanens, tenetur laborare, et acquirere quantum potest, ut satisfaciat. Notandum tamen talem cessionem locum non habere in debitis ex delicto: quamvis Less. Navarr. et Salon. etiam concedant furi cedere bonis, retinendo sibi quantum ei ad victum satis est (1).

118. Excusat 7. paupertas, si restituendo vitam decentem juxta statum suum debitor ducere non possit; Azor. Sot. s. Anton. Navar. Laym. Salm. Croix, et alii communiter (2); modo (intelligitur) debitor talem statum juste acquisiverit; nam si injuste acquisivisset furtis aut fraudibus, ille teneretur ad restituendum, etiamsi casurus sit a suo statu, ut communiter dd. Præterea intelligitur, ut dicunt Castropal. Navarr. Silvest. p. Layman Croix, etc. modo debitor culpabiliter ludis, crapulis, etc. in talem necessitatem se non conjecerit: sed hoc non obstante, semper ac debitor a suo statu juste acquisito casurus esset, mihi et aliis doctis durum videtur ad integram restitutionem illum obligare. Ceterum recte advertunt s. Antonin. Spor. Elbel, etc. quod in tali casu semper tenetur debitor expensas diminuere, ut possit restituere saltem quod potest (3).

119. Sed majus dubium est, an paupertas a restitutione excuset, cum dominus etiam esset pauper? Hic oportet distinguere necessitatem extremam a gravi; si debitor restituendo se aut suos (nempe filios, parentes, aut uxorem) in extremam necessitatem conjecturus esset, excusatur; quia tunc bonis quæ restitutus esset utitur, non secus ac si jam in extrema necessitate constitutus esset; et hoc quamvis res aliena in sua specie existeret; et etiamsi rei dominus in

(1) n. 699. — (2) L. 3 n. 702. — (3) n. 6:8. ad 5. et 6. et n. 702. ad Dicendum 2.

eadem necessitate extrema reperretur; quia in tali necessitate omnia sunt communia, ideoque in tali casu melior est conditio possidentis; sed recte excipiunt Less. et Castrop. si accideret casus quod dominus rei ex illo particulari furto in extrema necessitate positus esset: dum dominus qui prius possidebat tunc præferendus est (4). Sed si fur, necessitate transacta, teneatur ad restitutionem, vide dicta num. 49.

Loquendo autem de gravi necessitate, si solus debitor est in gravi necessitate, aut si restituendo decidere debet a statu suo juste acquisito, bene potest ille restitutionem differre, ut dictum est num. præcedenti. Sed dubium restat, cum uterque, nempe debitor et creditor sunt in eadem gravi necessitate, an debeat fieri restitutio: et respondetur quod, si creditor jam in gravi necessitate reperitur, debitor restituere debet, licet in æqualem gravem necessitatem conjiciendus esset, quia in æquali necessitate præferendus est creditor; ita communiter Azor. Mol. Less. Laym. Spor. Salm. Croix, etc. sed si debitor et creditor in eadem necessitate gravi jam reperiuntur, adeo ut illud vitæ sustentandæ juxta eorum statum satis non sit; tunc aliqui dicunt debitorem teneri restituendo: saltem cum debitum est ex delicto; ut dicit Ronc. Sed Lessius Castrop. Sylv. et Trullench. cum eodem Ronc. merito dicunt, probabile esse in tali casu restitutionem posse differri: quia tunc debitor restituendo subijcere se deberet damno multo majori, dum ex gravi necessitate in quasi extremam prolabi deberet. Sed excipitur semper, si creditor propter illud furtum in particulari in illam gravem necessitatem lapsus esset. Excipitur si res in specie existeret (5). Advertendum hic tandem, quod qui dubitat an damnum quod causavit, sit leve, an grave, non tenetur compensare nisi leve. Sed si res ablata existit, et dubitat an

(4) n. 701. — (5) n. 701. et 702.

sit valoris gravis, an levis, tenetur sub gravi ad eam restituendam; aliter exponet dominum ad injuste subeundum damnum grave (4). Ad quid autem teneatur possessor bonæ fidei, superveniente dubio, quod res non sit sua, vide dicta n. 73. hujus Tract. et Tract. 1. n. 20.

120. Quæritur hic ultimo, an debitor donans creditori immemor sui debiti, a restitutione excusetur? Negant Sanch. Laym. Bonac., etc. quia (ut aiunt) non potest una solutione satisfieri duabus obligationibus, uni ex titulo justitiæ, alteri ex titulo gratuito. Sed affirmant Card. Rodriguez Mazzotta et La-Croix, cum Rebellio ac aliis, quorum sententia satis est probabilis, semper ac certe præsumitur quod debitor, si debiti fuisset memor, nequaquam donasset. Ratio est, quia semper censetur quisque, cum dat bona sua, velle potius satisfacere obligationi justitiæ, quam voluntati donandi, sive obligationi factæ donationis, quæ cum facta fuerit per errorem, sive per debiti oblivionem, quæ dedit causam donationi, manet rescindibilis ab eodem donante, qui in conscientia non tenetur ad eam implendam; nam in quovis homine supponitur tacita mens non velle se obligare, ubi deceptus invenitur (2). Nec obstat 1. quod in contractibus non attenditur voluntas interpretativa, seu conditionalis, sed actualis; quoniam in nostro casu non intelligitur facta satisfactio primæ obligationi per voluntatem interpretativam, sed per voluntatem actualem ab initio habitam a debitore satisfaciendi debitum quod contrahebat; quæ voluntas habitualiter perseverat semper ac non revocatur; et hæc voluntas debet prævalere, tanquam anterior et magis urgens; idque probatur ab iis quæ scribunt ipsimet adversarii in similibus casibus (3). Nec obstat 2. quod debitum certum nequit compensari cum satisfactione probabilis, quia hoc

(1) n. 706. — (2) L. 3. n. 700. v. Quær. 2. — (3) Ibid.

procedit, cum debitum est certum et solutio est tantum probabilis; sed in casu nostro habetur quod debitum est certum et satisfactio sive datio debiti compensativa etiam est certa quapropter æqualitas jam ponitur. Stante igitur ex una parte debiti oblivione, quæ causam dedit donationi, redditque eam aut nullam, aut saltem rescindibilem ab eodem donante; et ex alia parte præsumpta satisfactione obligationis justitiæ per voluntatem perseverantem debitoris illam satisfaciendi: in hoc casu redditur dubia lex sive obligatio satisfaciendi duobus oneribus justitiæ et donationis; et cum hujusmodi lex sit dubia, ipsa non obligat, juxta id quod dictum est in Tract. 1. ex n. 15 et 32.

Idem autem quod dicitur hic de debito procedit de votis; quapropter si quis aliquid edidit votum, et postea implet operam promissam immemor voti, non tenetur iterum implere, semper ac pro certo præsumere potest quod, si memor voti fuerit, pro eo operam impletam applicasset. Idque communiter docent Suarez Azor. Bonac. Lessius Laym. Sanch., etc. quia tunc votum impletur per illam primam voluntatem habitam in principio, cum votum fuit emissum. Idemque dicunt ipsimet aa. de obligatione implendi pœnitentiam sacramentalem (4).

CAPUT IV.

DE CONTRACTIBUS.

PUNCTUM I

De contractibus in genere.

121. Quot modis constituuntur contractus.
122. Qui contrahit sine animo contrahendi, aut se obligandi.
123. De contractibus turpibus.
124. De contractibus initis dolo, an errore.
125. Metu.
126. Sine solemnitatibus.

121. Contractus quatuor modis constituitur: 1. solo consensu, ut venditio, locatio, etc. 2. solis verbis, ut (4) N. 700. v. Limitant vero.

stipulatio, 3. scriptura, ut census, 4. traditio, ut donatio, mutuum, depositum, et commodatum (1).

122. Notandum 1. si quis externe contrahit, sed sine animo contrahendi, non remanere eum obligatum (nisi esset quia alter contrahentium, cum contractus esset onerosus, jam partem suam adimplevisset, ut dictum est in hoc *Tract. n. 93.*). Et qui contraheret sine animo se obligandi, probabiliter ne obligatus quidem remaneret (2).

123. Notandum 2. contractus turpes, v. g. grassationis, fornicationis, etc. antequam effectum habeat delictum, cum ipsi sint omnino irriti, non obligare; sed eo patrato, communior et probabilior sententia, quam tenent *Sot. Cajet. Less. Sanch. Lug. Mol. Salm. Croix*, etc. (quamvis opposita *Adriani Comitoli et Tournely* etiam sit satis probabilis) doceat teneri solvere pretium promittentem et recipientem non teneri illud restituere, tum ratione superius allata, quod cum alter contrahentium partem suam posuit, alter tenetur ponere suam; tum etiam quia opus malum jam positum, licet non sit dignum pretio uti malum, est tamen aestimabile ut utile uni, et onerosum alteri, id ponenti (3). Vide quod dicitur *Tract. 13. n. 67.* Si quis autem donum aliquod mulieri traderet ad copulam extorquendam, non posset illa, copula non concessa, donum retinere; secus vero si donum datum fuisset ad voluntatem mulieris alliciendam (4).

124. Notandum 3. contractum dolo, aut errore circa substantiam inicum esse invalidum, licet error non dedisset causam contractui, nempe cum, etiamsi pars errorem cognovisset, etiam contraxisset. Contra cum error est circa qualitatem rei, et causam contractui non dedit, ille certe est validus. Sed si error fuisset circa solam qualitatem, et contractui cau-

(1) N. 708. — (2) N. 740 et l. 6 n. 833. — (3) *Lib. 3. n. 712.* — (4) *Ibid. quær. 2.*

sam dedisset, nonnulli dd. dicunt esse nullum; sed communis et valde probabilior sententia vult esse validum, nam talis contractus non potest dici invalidus, nec lege naturæ, cum jam adest plenus consensus circa substantiam; nec lege positiva, ut constat ex *textu Justiniani, Instit. l. 4. tit. 13. de excep.* ubi declaratur validus talis contractus, licet detur actio parti deceptæ illum rescindendi. Sed hoc non obstante, quando error fuisset invincibilis, et res adhuc esset integra, probabile est cum *Less. Laym. Castrop. etc.* deceptum non teneri in conscientia stare contractui, cum omnium contrahentium mens tacita ea sit, ut nolint se obligare iis contractibus in quibus decipiuntur (5).

125. Notandum 4. contractus metu inicos (modo metus sit gravis, et injustus) similiter posse rescindi non solum a iudice, sed etiam propria auctoritate partis metum passæ; et hoc etiamsi res in manus tertii possessoris bonæ fidei transiverit. Et si unquam pars læsa peteret contractum rescindere, et altera renueret, potest tunc sibi compensare damnum quod passa est (6). Cæterum hujusmodi contractus ex se sunt validi, licet essent gratuiti, juxta sententiam communissimam et probabiliorum, quam tenent *Less. Azor. Lugo Salmant. et alii multi* (7). Nihilominus excipiuntur 1. matrimonium (et etiam sponsalia ut dicitur *Tractatu 18. n. 3.*); 2. professio religiosa; 3. votum; 4. promissio, aut traditio rei ecclesiæ; 5. electio prælati; 6. auctoritas tutoris metu extorta; 7. jurisdictio ecclesiastica metu acquisita; 8. absolutio a censuris; 9. renunciatio beneficiorum. Loquendo autem de aliis contractibus, jam dictum est quod metum patiens actionem habet rescindendi contractum: intelligitur quando metus est gravis, non autem cum est levis juxta probabiliorum sententiam; licet oppositam

(5) N. 744. v. *Contractus et 745.* — (6) N. 717. et seqq. — (7) N. 746.

Soti Navar. Lessii Sanch. Castrop Salm. etc. non judicamus improbabilem, sed semper excipiunt hi dd. matrimonium, et professionem religiosam, quæ irritari non possunt ob metus levis incussionem (1).

126. Quæritur autem inter dd. an liget in conscientia contractus sine debitis solemnitatibus celebratus? Multi affirmant, ut *Sot. s. Antonin. Sa Mol. etc.* dicentes legem humanam auferre quidem actionem in hujusmodi contractibus, non autem naturalem obligationem, pro qua sufficit solus consensus. Multi alii vero id negant, ut *Less. Lugo Bonac. Salm. etc.* et dicunt legem humanam, ut fraudum periculo occurrat, bene posse etiam naturale debitum auferre. Sed cum utraque sententia sit probabilis, puto in praxi omnino amplexandam esse tertiam sententiam *Sanch. Cabass. Bann. Bejae etc.* (cui adhæret etiam *Sot.*) nempe cum ei tale sit dubium, præferendum esse possessorem, donec a iudice non sit damnatus ad restituendum.

PUNCTUM II.

DE PROMISSIONE ET DONATIONE.

127. *De promissione.*

128. *Quis non potest donare; et si quis recipit dona a debilis gravato.*

129. *De donationibus inter conjuges, et patres, et filios.*

130. *De donatione non acceptata; et si per nuncium, aut per litteras facta est.*

131. *Si est pro causa pia; et an heres possit acceptare.*

132. *Traditio; adimplementum; donatio prodiga; causa finalis.*

133. *Causa ut donationes revocari possint præsertim si sint inofficiosæ.*

134. *De donatione causa mortis.*

127. Quoad promissionem, probabile est simplicem promissionem, nisi adfuerit expressa voluntas sub gravi se obligandi, non obligare nisi ad culpam levem, dum talis promissio non jam obligat ex justitia, sed ex sola fidelitate sive honestate, ut dicit s.

(1) N. 746. v. *Excipe tamen. et seqq.*

Thomas (2); et hujus sententiæ sunt etiam *Cajet. Bann. Ledesm. Henriq. et Salm.* cum aliis (3). Certum est autem omnino non obligare, quando res promissa redditur aut nimis noxia, aut impossibilis, aut illicita, aut inutilis, aut quoties talis rerum mutatio superveniat, ut si prævisa fuisset, promissio non fuisset facta; ita expresse s. *Thomas* (4) et alii communiter (5).

128. Quoad donationem, multa notanda sunt. Notandum I. impeditas esse donando sequentes personas: 1. ratione carentes; 2. muli et surdi a nativitate; 3. pupilli et impuberes (nisi ad piam causam); 4. morte damnati; 5. communitatum administratores, nisi donationes sint remuneratoriæ, et eleemosynæ (6). Præterea non possunt donare ære alieno gravati; et advertendum eos qui dona ab hujusmodi recipiunt, teneri a restituendum, si debitores iis donis impotentibus fierent creditoribus solvendo; quia hujusmodi donatarii recipiendo sunt causa positiva damni creditoris quandoquidem contractus donationis non perficitur sola donantis voluntate, sed etiam acceptantis: unde ipsi, tanquam causa positiva damni creditoris ad restitutionem tenentur (7).

129. Notandum II. donationes inter conjuges non valere, nisi confirmatæ sint juramento, aut donantis morte, postquam in vita doni traditio facta est. Sunt tamen validæ si factæ sunt causamortis, et si sunt remuneratoriæ; aut factæ a viro qui est prodigus, aut ab uxore ut vir aliquam obtineat dignitatem (8). Idem quod est inter conjuges, dicitur de donationibus patris factis filiis familias. Est valida tamen si talis donatio facta est causa matrimonii, aut studiorum (et tunc non præsumitur pater velle, ut res donata in legitimam

(2) 2. 2. q. 88. a. 3. ad. 1. — (3) *Lib. 3. n. 720. v. In hac.* — (4) 2. 2. q. 140. a. 3. ad. 5. et l. 3. n. 720. v. *Notandum.* — (5) *ib.* — (6) *N. 721.* — (7) *N. 722.* — (8) *N. 723.*

compuetur); aut si filius est tantum naturalis, aut si pater donat fructus peculii adventitii (1).

130. Notandum III. donationem ante acceptationem obligationem aliquam non parere (nisi facta esset infanti, tunc enim pro ipsis acceptat lex). Ratio est quia nulla obligatio potest inter partes sine mutuo eorum consensu contrahi. Ita ex *L. si quis argumentum, § Si autem, c. de donat.* contra *L. Absenti ff. eod. tit.* (2). Vide etiam de *Franchis Dec. 339.* Et hoc procedit, etiamsi donatio esset juramento firmata (3); dum juramentum actus naturam sequitur, nempe donationis, quæ per se est revocabilis, quoties non est acceptata. Hinc est quod si donatio facta est per nuntium, illa potest revocari, usquedum coram ipso nuntio acceptata non sit; et si literis facta est, usquedum acceptationis responsio non refertur ad donantem (4). Ideoque eo casu juxta probabiliorum Lopez Tiraquel. Decii et aliorum, donatarius non potest talem donationem acceptare, si certior post donantis mortem fiat; quia tunc conjungi non potest (ut dictum est) consensus donantis cum illo donatarii, ut contractus validus fiat. Et juxta hanc sententiam, si nuntius culpa sua rem donatam non attulit donatorio, aut donationem sibi commissam non executus est, ipse tenebitur post donantis mortem non solum ad restituendum rem hæredibus, sed etiam damnum illatum donatorio. Sed hoc non obstante, non judico improbabile contrarium, quod tenent Less. Lugo Sanch. Salm. et Viva, qui dicunt donatarium etiam post donantis mortem posse acceptare donationem, ex eo quia donantis voluntas in literis aut in nuntio misso, aut in legatione huic data donationem faciendi, virtualiter perseverat. Et positò quod utraque sententia sit probabilis, dico quod si donatarius bona fide accepavit donationem, et rem donatam jam

(1) N. 724. — (2) N. 725. — (3) N. 727. — (4) L. 3. n. 728.

accepit. licite potest eam retinere. Et tanto magis, si tunc cum donatio acceptatur, nec nuntius nec donatarius donantis mortis sunt conscii, quia tunc acceptatio est certe valida, ut dicunt Sanch. Lugo et Salmant. ex *L. Inter causas ff. Mandati etc.* Contra donatarius tenetur ad restitutionem si rem mala aut dubia fide recepit; cum juxta dicta n. 8. *hujus Tractatus*, et in opere (5), cum dubio etiam positivo, aut cum opinione probabilis legitima possessio acquiri non possit (6).

131. Quod autem supra dictum est, nempe quod donatio ante acceptationem non obligat, hoc currit etiamsi facta sit ad pias causas (advertendum tamen donationes pias a quolibet acceptari posse); ita probabilis docent Sanch. Castrop. Covar. Rebel. Salm. etc. Sed excipitur si donatio directe est facta Deo, quia tunc est votum; et in dubio præsumitur esse votum in quo probabile est posse Episcopum dispensare, licet donatio acceptata sit ex parte piæ causæ (7). Sed si donatarius (loquendo generaliter de omni donatione) decesserit ante acceptationem, quæritur an possit hæres eam acceptare; affirmant Molin. Suarez. Sanch. etc. sed probabilis id negant Less. Castrop. Salm. et Rebel. quia hæres in omnia defuncti jura realia, non autem personalia, ut est hoc succedit (8).

132. Notandum IV. dominium refectionem non acquiri, nisi post traditionem. V. Donationem principaliter factam ut donatarium obliget ad aliquod, illa erit irrita, per donatarium stet, quin finis adimpleatur. Secus autem, si facta est ad allicendum eum ad aliquod præstandum (9). VI. Donationem prodigam non esse validam (10). VII. Donationem factam ob causam præsentem, aut præteritam non esse validam, si deest

(5) N. 729 et 730. — (6) Ibid. et 761. v. Ouær. 2. — (7) N. 726. — (8) N. 731. — (9) N. 734 et 736. — (10) N. 735 et 736. v. Cum autem.

PUNCTUM III.

DE COMMODATO PRECARIO ET DEPOSITO.

135. *De commodato et precario.*

136. *De deposito.*

137. *An debeat præservari res domino.*

138. *In quibus casibus depositarius teneatur restituere.*

135. Hic pauca adnotanda habemus. *Cummodatum* est cum aliquid ad usum præstatur ad tempus determinatum. *Precarium* est cum conceditur donec dominus illud repetat, et hoc precarium cessat morte illius, qui illud recipit, non autem morte dantis, donec per hæredes non repetatur. *Commodatum* autem non potest repeti ante tempus determinatum, nisi esset quod aliter commodans damnum pateretur. *Expensæ ordinariæ* in commodato fieri debent a commodatario, *extraordinariæ* a commodante (8).

136. *Depositum* autem est cum datur aliquid custodiendum; unde depositarius non potest illo uti, sine domini saltem præsumpta voluntate; secus tenetur restituere usus valorem, si res non sit usu consumptibilis (9).

137. Notandum hic primo: in casu incendii, naufragii, etc. depositarius non tenetur depositi conservationem suis bonis præferre, nisi esset res multo præstantior suæ, quia tunc debet præferre depositum: sed potest sibi rei suæ valorem compensare: contra commodatarius semper tenetur præferre rei sibi in usum concessæ conservationem, aliter saltem tenetur dominum de pretio facere indemnum (10). An autem commodatarius, aut depositarius teneatur ad restitutionem, si res periret culpa sua, non jam theologica, sed tantum juridica, probabile est non teneri ad restitutionem, ut dicunt Lugo Cabass. Ronc. et Salm. (11) vide dicta hic n. 41.

138. Notandum 2. quod depositarius non tenetur ad restituendum depositum, si certe scit rem esse fur-

causa primaria; secus si deest secundaria (1).

133. Notandum VIII. quod donatio inter vivos multis de causis revocari potest. 1. Ob enormem donatarii ingratitudinem (2); 2. si donanti proles orta est, qua prius carebat: intelligitur cum donatio de magna bonorum parte fuisset, et cum fit extraneis; quia si fuisset in alicujus ascendenti beneficium facta, aut ad causas pias, tunc potest solum revocari in quantum est necessarium, ut filii suam habeant legitimam (3). An autem, quia nascuntur alii filii, possit pater donationem revocare, probabile est eum posse, licet negent alii. Sed si pater eam non revocat, non potest a filiis revocari (4); 3. si donatio est inofficiosa, nempe si lædit filios in legitima; et tunc si facta est extraneis a patre animo pravo, in totum revocatur; sed si sine tali animo, aut est facta aliis filiis, revocatur solum in partem. Donatarius attamen nihil tenetur restituere ante iudicis sententiam. An autem possit lædi filiorum legitima applicando bona in opera pia, permittunt Navar. Card. Rodrig. Lop. Veg. etc. modo restent filiis alimenta. Sed id negant Sanch. Less. Salm. Conc. etc., et hæc sententia videtur probabilior, quia leges civiles observari debent, ubi a jure canonico non sunt correctæ, ut diximus *Tr. 2. n. 14. 15. et 33.* (5).

134. Notandum denique omnes donationes causa mortis usque ad mortem esse revocabiles. Et supponuntur factæ causa mortis, quoties a donante factæ sunt aut pro tempore post suam mortem, aut ad suæ mortis considerationem. In dubio autem intelliguntur factæ inter vivos, adeoque irrevocabiles (6). Donationes causa mortis cum sunt factæ absentibus, non valent, nisi destinetur nuntius, aut epistola; sed si adsunt testes, valent ut fidei commissæ (7).

(1) L. 3. n. 737. — (2) N. 738. — (3) N. 739. — (4) N. 740 ad. 6 in fine. — (5) L. 3 p. 740. — (6) N. 741. — (7) N. 742.

(8) N. 744 et 745. — (9) N. 746 et 748. — (10) N. 752. — (11) N. 749.

tivam aut si ipse haberet certam sibi compensandi causam: aut si prudenter timeret, ne dominus ea abusus esset contra justitiam (ut gladio ad inimicum interficiendum) aut etiam contra charitatem ut dicit Less. cum s. Thoma (1), contra Sanchez. et Bonac. (2).

PUNCTUM IV.

DE MUTUO ET USURA.

439. De mutuo, et quando debet restitui.
 440. De mutuo minoribus concesso.
 441. De concesso filiis familias.
 442. De usura.
 443. De mutuo dato sub spe lucri.
 444. De lucro gratis oblato.
 445. De oblato ex timore, etc.
 446. De pacto non repetendi sortem, nisi intra tempus longum.
 447. De damno emergente.
 448. De lucro cessante.
 449. Conditiones, v. ut mutuarius admoni us sit.
 450. 2. Ne ultra spem exigatur.
 451. 3. Ut mutuum sit causa damni et lucri cessantis.
 452. An damnum, aut lucrum debeat esse certum.
 453. et 454. De periculo.
 455. De montibus pietatis.
 456. et 457. De pena conventionali.
 458. An ut exigatur benevolentia, etc.
 459. De pactis obligatoriis, etc.
 460. De pacto restituendi in eadem quantitate.
 461. De præstando quod debetur ex justitia aut charitate.
 462. Obligatio usurariorum et hæredum
 463. et 464. De cooperatoribus.

139. Loquendo de mutuo, mutuum est cum datur res usu consumptibilis obligatione restituendi eam tempore præfixo in eadem specie, et bonitate. Sed si tempus non est præfixum, restituenda est cum exposcitur (elapso tamen aliquo convenienti spatio); imo restitui debet etiam non requisita, si a mutuante aut ob oblivionem, aut observantiam, aut loci distantiam, non exposcitur (3).

140. Notandum hic 1. quod mutuum datum universitati minori, et

(1) 2. 2. q. 62. 5. ad. 4. — (2) n. 753. — (3) L. 3. n. 754. et 755.

Ecclesiæ, aut ad aliam piam causam non potest repeti, nisi probetur illud in eorum utilitatem esse impensum: excipitur, si daretur alicui ecclesiæ cum Prælati et capituli consensu (4).

141. Notandum 2. filios familias, qui non habent bona castrensia aut quasi, non teneri ad restituendam pecuniam mutuo acceptam. L. I. C. de S. C. Maced. Et hoc non solum valet pro foro externo, sed etiam interno conscientiæ; excepto si cum juramento de satisfactione se obligasset (quod juramentum potest cæteroaquin a Superiore ecclesiastico relaxari); sed in casu quo sciente et non contradicente patre accepissent, aut si mutuum in patris utilitatem expensum esset, nempe in ea quæ ille præstare filio debuisset, tunc pater tenetur ad satisfaciendum (5). Hoc tamen quod dictum est de pecunia, non procedit pro re mutuo accepta a filio familias. Nec aliud de mutuo dicendum restat.

142. Loquendo de usura, usura est lucrum proveniens ex mutuo et usum rei mutuo datæ. Illa tum lege positiva, tum naturali est illicita: nam in aliis rebus usus est distinctus a dominio, sed in rebus consumptibilibus usus non distinguitur a dominio, dum usus rei destructionem importat, ideoque cum in mutuo dominium necessario in mutuatarium transfertur, si mutuans aliquid lucri exigeret, ex re non amplius sua, et ex sterili, ut est pecunia, frumentum, &c. exigeret (6).

143. Itaque ex mera mutui ratione nullum lucrum exigi potest. Imo ne licet quidem mutuum dare cum spe alicujus lucri; et licet s. Thomas (7) videtur admittere expectationem alicujus lucri, cum lucrum expectatur aut exigitur non ex pacti debito, sed ex benevolentia; hoc tamen dicimus intelligi debere cum mutuum principaliter datur ad benevolentiam expiscandam, et minus principaliter ali-

(4) N. 756. — (5) N. 757. — (6) N. 758. et 759. — (7) 2. 2. q. 78. a. 2. ad. 3.

quod lucrum speratur. Sed principaliter mutuum dare ob lucri spem (licet sperati ob meram benevolentiam), ut esset si alias sine tali spe mutuum non daretur, dicimus omnino non licere, cum evangelium dicat: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Lucæ 6. 35. Et hoc est expressum in cap. *Consult. de usur.* ubi dicitur usurarius, qui mutuo dat animo lucrandi, licet sine pacto, *alias non traditurus* (verba sunt textus): et ibi adducuntur pariter verba quæ mox retulimus ex Evangelio (1). Et notetur hic prop. 42. damnata ab Innoc. XI. quæ dicebat: *Usura non est, dum ultra sortem exigitur aliquid tamquam ex benevolentia debitum.* Propositio merito reprobata, quia benevolentia nunquam obligare potest ad lucrum præstandum, cum multis aliis modis exhiberi possit (2).

144. Sed si mutuarius daret aliquid mere gratis, bene potest a mutuante retineri. Sed quid dicendum in casu, quo dubitatur an mutuarius gratis dederit, an ut mutui pretium? Respondetur, quando mutuans bona fide recepit, et postea superveniente dubio non potest certus fieri, tunc potest licite illud sibi retinere. Secus autem si jam recepit in dubio (quicquid dicant alii), quia cum dubio nemo legitime potest possessionem inchoare (3). Cæterum si mutuarius non esset pauper, nec illiberalis, nec dedisset motus ab aliqua mutuantis efflagitatione, sive minis, tunc præsertim si dedit post sortis mutuo datæ redditionem (4).

145. Dicunt multi ad. et Laym. Sot. Lugo Castrop. Salmant. et alii, quod si mutuarius ultra sortem dederit aliquid, ne videretur ingrati animi, aut ne deinceps sibi denegaretur mutuum, bene potest mutuans illud retinere; quia mutuarius ad præstandum illud donum non inducitur ab aliqua extrinseca mu-

(1) N. 762. — (2) L. 3. n. 762. — (3) N. 761. v. quær. 2. — (4) Ibid.

tuantis actione, sed tantum ex motivis suis intrinsicis, quæ omnia spontaneam efficiunt illam donationem (5).

146. Hic notanda propos. 42. ex damnatis ab Alexand. VII. quæ dicebat: *Licetum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.* In mutuo est intrinseca obligatio, ut mutuans expectet restitutionem sortis pro aliquo tempore. Sed si mutuans se obligaret expectare ad tempus longum et extraordinarium (v. g. ad tres, vel quatuor annos), dicunt Sporer Medina Serra Ledes. Trullench. et Henriq. posse tunc illum exigere aliquid, quia talis obligatio est extrinseca mutuo, adeoque digna pretio; saltem quia (dicunt Salm. cum Prado Bannez Aragona etc.) mutuans se obligando tantum temporis expectare, est moraliter impossibile, ut aliquod damnum aut incommodum notabile non patiatur. Et si potest quis licite aliquid exigere, si se obligat ad dandum mutuum intra longum tempus, ut dicit Molina, cum communi, cur non potest qui se obligat ad non repetendum suum, nisi post tempus extraordinarium (6)?

147. Quatuor sunt tituli ordinarij propter quos mutuans potest aliquid ultra sortem exigere. I. Titulus est *damnum emergens*, quod mutuans mutui causa patitur, tunc enim, ut dicit s. Thomas (7), non est quod ille vendit usum pecuniæ, sed indemnem se reddit in damno passo (8).

148. II. Titulus est *lucrum cessans*, nempe illud quod mutuanti non obvenit ob mutuum. De justitia hujus tituli sunt qui dubitant, sed immerito, dum communiter illud probatur apud dd. et etiam s. Thomam. (9), qui dicit duobus modis posse aliquem damnificari, aut si impeditur a consecutione alicujus boni, quod jam

(5) N. 763. — (6) N. 760. — (7) 2. 2. q. 78. a. 2. ad. 4. — (8) N. 768. — (9) 2. 2. q. 62. a. 4.

jam consecutus erat, aut si privatur illo quod jam habet. Et licet Angelicus alibi (1) dicat non posse mutuam convenire de lucro sperato, quia non potest vendere quod adhuc non habet; at tamen sapienter advertit doctus Sylvius (2) hoc debere intelligi, quod mutuans non potest exigere totum lucrum, quod speratur, sed tantum valorem spei. Sed de hoc titulo hodie non est amplius dubitandum, cum Benedictus XIV in Bulla *Vix pervenit* declaraverit, unum ex justis titulis exigendi aliquid a mutuo, esse lucrum cessans, nempe (ut in Bulla se explicat) si pecunia aliter impensa fuisset, sive ad *proventus annuos conquirendos, sive etiam ad licitam negotiationem exercendam honestaque lucra percipienda* (3).

149. Nihilominus, ut hoc lucrum exigatur ratione damni emergentis aut lucri cessantis, tres requiruntur conditiones. *Prima* ut pactum lucri præcedat contractum (excepto si mutuans cogetur invitus mutuari, aut si mutuarius, elapso tempore, non restitueret mutuum); et præterea ut mutuarius etiam ante contractum sit admonitus de præfato titulo. Nec sufficit præsumere quod ille consensus fuisset lucro promisso, si de justo titulo certior factus esset: quia ad contractum non sufficit voluntas interpretativa, sed requiritur actualis. At tamen si contractantes consentirent contractui omni meliori modo, quo iniri potest, tunc probabiliter dicunt Less. Tourn. Salm. et Croix quod potest exigi lucrum promissum. Cæterum Bened. XIV. in præfata Bulla hæc præscribit: « Quia ab omni usura labe se immunes præstare volunt, admonendi sunt, ut contractum insituendum ante declarent, et conditiones inserendas explicant, et quem fructum ex pecunia postulent » (4).

(1) 2. 2. q. 78. a. 2. ad. 4. — (2) 2. 2. q. 77. a. 4. Quar. 5. — (3) N. 768. — (4) L. 3. n. 769 et 773.

150. *Secunda* conditio est ut ratione lucri cessantis non exigatur ultra valorem spei lucri sperati, deductis expensis, et pretio laboris, quem impensurus fuisset ut tale lucrum exigeretur: non jam ex toto, sed ex parte, nempe quantum mutuans aliis soluturus fuisset ut liberaretur ab ipso labore (5).

151. *Tertia* conditio est ut mutuum sit vera causa damni, aut cessationis lucri; nam si mutuans illud lucrum alia pecunia sibi fecisset, aut alia industria, cui vacare non potuisset illam pecuniam in negotiationem applicando, tunc nihil potest exigere. Sed si mutuans daret mutuo pecuniam negotiationi destinatam, nec illi esset animus aliam pecuniam pro familiae opportunitatibus, aut pro alio fine reservatam, in illius locum sufficere, tunc probabiliter potest exigere lucrum cessans pecuniæ mutuo datæ, ut dicunt Less. Lug. Laym. Castr. Valent. Salm. etc., quia tunc revera mutuatio est causa cur cesset lucrum speratum a pecunia; nec mutuans tenetur in mutuatarii gratiam negotiationi exponere pecuniam illi non destinatam, sed aliis suis finibus. Ego tamen hoc non admitterem in casu quo mutuant, cum mutuum dat, esset animus substituendi negotiationi illam pecuniam reservatam (6).

152. Addit P. Concina his tribus conditionibus quartam, nimirum ut damnum aut lucrum sit certum: nempe quod paratæ sint lucrandi occasiones. Sed melius dicunt communiter cum Sylvio Navarro Mald. Tap. Salas. Decoquer Salm. etc. quod bene potest in pactum deduci lucrum solvendum ob illos titulos incertos, modo sint probabiles et modo non exigatur ultra valorem periculi damni, aut spei lucri, dum subjacere illi periculo damni incerti, et privare se spei lucri incerti utique sunt digna pretio (7).

153. III. Titulus est periculum (3) N. 769. v. 2. Conditio. — (6) N. 771. — (7) N. 770.

amittendi sortem. Hic titulus est valde nonnullis decertatus; sed communiter, et merito admittitur etiam ab auctoribus probabilioristis, prout sunt Fagnanus Petroc. Cabassut. Tourn. Wigandt ultra Silvest. Sylv. Less. Mol. Lug. Salmant. et alios, dummodo periculum sit extraordinarium, non autem commune. Ratio est, quia suscipere tale periculum est certe dignum pretio, ut docet s. Thom. (1), qui dicit: *Res extra periculum plus aestimatur, quam existens in periculo*. Et hoc confirmatur ab eo quod expressum fuit a Conc. Lateran. sub Leone X. sess. 10. ubi damnatum fuit recipere aliquid ex mutuo; dummodo (nota) non esset periculum sortis, aut expensæ, ut illa recuperetur, dicente Concilio lucrum quod exigitur tunc esse usuram, *quando nullo sumptu, nullove periculo conquiri studeatur*. Confirmatur etiam ex declaratione S. C. de propaganda fide approbata ab Innoc. X. et relata a pluribus gravibus aa., nimirum a Cabass. Tournely La Croix Bancel et primo ab Hurtado, qui authenticum exemplar manu notarii apostolici firmatum addegit; in illa dictum fuit posse ex mutuo peti lucrum ultra sortem, *ratione periculi probabiliter imminenti* (2).

154. Opponunt adversarii textum in *cap. Naviganti de usur.* ubi legitur quod pactum exigendi aliquid præter sortem habendum est usurarium, quando mutuans suscipit supra se sortis periculum; verba textus hæc sunt: *Eo quod (mutuans) suscipit in se periculum, usurarius censendus est*. Sed respond. 1. a multis quod in textu citato præsumitur ex errore sublata fuisse particula *non*, quæ præcedebat verbum *censendus*; ita valde probabiliter Tourn. Cabass. Laym. Castrop., etc. ratione accepta ex contextu verborum immediate subsequentium: *Ille quoque... non debet ea hoc usurarius reputari*, etc. loquendo de alio casu: cæteroquin hoc (1) Opusc. 75. c. 6. — (2) Lib. 3. n. 765.

non cohereret cum verbis præcedentibus *usurarius censendus est*. Sed (de hoc quicquid sit) respondetur 2. cum Fagnano, quod hoc valet pro foro externo, quod præsumit in tali contractu animum usurarium, non autem pro interno. Respond. 3. hoc currere quando mutuans vi ipsius mutui vellet obligare mutuatarium ad transigendum hujusmodi periculum, nam si mutuatarius offerret cautionem, mutuans teneretur eam acceptare; non autem cum non intendit eum obligare (3).

155. Hic scire juvat ab eodem Conc. Lat. adducto approbatos fuisse *montes nuncupatos pietatis*, in quibus exigitur certum lucrum ultra sortem propter expensas officialium montis, et ob pignorum conservationem, quæ veneunt elapso tempore præfixo mutui restitutioni, et quod residuum est redditur dominis, si inveniuntur, alias applicantur pauperibus, aut in ipsius montis augmentum. Dicunt nonnulli mutua hujus montis non debere dari, nisi pauperibus, ne postea deesset unde auxilietur pauperibus, in quorum gratiam præsertim hujusmodi montes instituti sunt (4).

156. IV. Titulus est *pœna conventionalis*, nempe pactum, quod si mutuatarius non satisfacit solutioni intra tempus prædefinitum solvenda ei erit aliqua summa ultra sortem. Hic titulus etiam communiter censetur justus a Soto Less. Tournely Cabas Henrico de s. Ignatio Wig. Salmant., etc.; talis enim pœna non imponitur, nec imponenda est sine lucrando, sed sine reddendi vigilem mutuatarium redditioni in præfinito tempore. Ut tamen talis pœna exigatur, tres requiruntur conditiones: 1. ut dilatio mutuatarii in reddendo sortem tempore præfinito sit notabilis et culpabilis; 2. ut pœna sit moderata, et culpæ proportionata; 3. ut mutuatarius se obliget ad reddendam sortem tempore, quo vere (3) n. 765. v. Objiciunt 2. — (4) n. 765. v. Circa.

possit ille eam restituere, alias pactum aestimatur usurarium (1).

157. Dubitatur autem an præfata pœna debeat ante sententiam iudicis? Alii negant; sed probabilius affirmant Less. Tournel. Silvest. Salmant., etc., quia talis pœna induit pacti rationem, non pœnæ (2). Et hic advertendum quod pactum nuncupatum *legis commissoria*, nempe quod si non reddatur termino præfixo mutuum, pignus in totum abdicatur mutuanti, hoc pactum solum cohonestari potest si appositum fuisset tanquam pœna conventionalis cum conditionibus supra expressis; cæterum per se loquendo, esset usurarium, et mutuans, pacto non obstante, deberet restituere totum superfluum pignoris ultra sortem, et præterea fructus a pignore perceptos, si illud est fructiferum; ideoque pactum, ut a mutuante exigantur fructus fundi pignori dati, nuncupatum *antichriseos* (vulgo *a godere*), per se est illicitum. Excipitur si tale pignus fuisset datum pro dote promissa (sed non adhuc constituta), ad sufferenda matrimonii onera (3).

158. Ad dignoscenda quænam pacta licita sint in mutuo, oportet attendere regulam traditam a s. Thoma (4), nempe omne onus quod imponitur dignum pretio, esse usuram; non autem, si exigitur aliquod quod pecunia non acquiritur, ut est benevolentia (5); modo non exigatur aliquod beneficium in particulari, tanquam debitum illi benevolentiae, aut gratitudinis, cum damnata sit propositio 42. ab Innocent. XI. quæ dicebat non esse usuram exigere aliquid, *tanquam ex benevolentia et gratitudine debitum*, ut esset v. g. si mutuans obligasset mutuatarium ad ei conferendum aliquod officium; ratio est, quia gratitudo potest multis aliis modis exhiberi, ut laudando, honore afficiendo benefactorem, etc.

(1) N. 766. — (2) N. 767. — (3) L. 3. n. 775. et 776. — (4) 2. 2. q. 78. a. 2. — (5) N. 774.

Quare debitum reddendi aliquod in particulari est onus pretio aestimabile, adeoque usura.

159. Ita etiam est illicitum obligare mutuatarium ad emenda inopsterum a mutuante necessaria, aut locandam illi domum, ad vendendum frumentum, ad mutuandam pecuniam, aut id simile. Dictum est *in posterum*, quia exquirere a mutuatariorum hæc eodem tempore quo ille petit mutuum, hoc non est illicitum, ut docet s. Thomas cum aliis communiter (6).

160. Est illicitum etiam pactum, ut pro pecunia aut alia re mutuo data, reddatur alia rei species, quia hoc onus etiam esset pretio aestimabile. Hic autem dubitatur, an sit licitum pactum, ut reddatur res mutuo data certo tempore in eadem specie, et quantitate? v. g. si datur mutuo frumentum mense Augusti cum pacto, ut restituatur in eadem quantitate mense Maio? Respondetur, quando dubium est æquale, quod mense Maio frumentum (et idem de cæteris rebus) possit crescere et decrescere, aut si mutuans statuit suum frumentum usque ad Maium conservare, tunc certe licitum est pactum; deductis tamen expensis, aut periculo conservationis. Sed si res non potest pretio decrescere mense Maio, et contra mutuans non erat certo conservaturus (quicquid dicant Less. Salm. Azor. Bonac. etc.), tale pactum est usurarium; nam obligando mutuatarium ad reddendum frumentum Maio cum pluris valet, dignoscitur animus lucrandi: unde tunc in restituenda sorte deducendus est a sorte valor augmenti. In mutuo autem pecunia semper licitum est pactum, ut reddatur in eadem specie, saltem si diminutio non est moraliter certa (7).

161. Est commune inter dd. non esse illicitum mutuanti exigere aliquid ex iustitia debitum, v. gr. ut mutuatariorum cesset a vindicta, aut ab injusta vexatione, aut ut solvat de-

(6) N. 780. et 781. — (7) N. 782.

bitum prius contractum (1). Diximus *ex iustitia debitum*, quia non currit regula, si res erat debita ex charitate. Quare dicimus cum Azor. Bonac. Spor. Salmant. etc. (quicquid dicant p. Concina et alii), quod si detur mutuum medico, aut advocationi, qui tenebatur mederi, aut causam defendere ex sola charitate, non licet pacisci, ut ipse teneatur hoc præstare; quia, posito pacto, additur onus iustitiæ, quod est dignum pretio (2). Ita etiam dicimus cum Lugo Laym. Bonac. etc. adversus alios, non licere mutuanti obligare mutuatarium ad remittendam offensam, quam deberet ex charitate ei remittere, sed ex iustitia poterat satisfactionem petere (3).

162. Denique loquendo de usurariorum obligatione, et aliorum, qui positive et graviter cooperantur contra mutuatariorum voluntatem, ipsi tenentur restituere omnes usuras exactas, non autem accessiones factas ex usuris, quia hic est fructus industriae, qui spectat ad illum qui eam adhibet (4). Probabile est autem hæredes usurariorum non teneri in solidum ad restitutionem usurarum sed quemlibet pro sua rata, ut deducitur ex c. *Tua nos. 9. de usur. et ex l. I. Cod. de delict. defunct. l. 4. tit. 17. (5)*.

163. Servi usurariorum qui cooperantur in aliquo quod mutuatariorum non displicet, ut in deferendo pignore, aut pecuniam, aut in tabulas referre, aut amicis verbis usurariorum solutionem efflagitare, hi excusantur a restitutione; secus qui firmanter chirographum, aut minis, aut aliis mediis cogunt ad solutionem (6).

164. Loquendo denique de iis qui consilium præstant, aut pecuniam exhibent usurario, hi excusantur a restitutione, sicut dicunt Lugo Tol. Silvest. et alii communiter, cum ita agunt in mutuantis gratiam (7). De-

(1) N. 774. et n. 777. — (2) Ibid. — (3) N. 778. — (4) l. 3. n. 784. et 792. — (5) N. 790. — (6) N. 789. — (7) N. 785.

mutuum notandum quod usurarii publici sunt infames, et eorum testamentum est nullum; nec possunt admitti ad Communionem, nec sepeliri in loco sacro; et qui scienter eorum corpora sepulturæ reddit, ipso facto est excommunicatus (8).

PUNCTUM V.

DE EMPTIONE ET VENDITIONE

165. *Determinatio pretii, et rei.*
 166. *De emptione.*
 167. *Quando transfertur dominium.*
 168. *De emptione conditionata.*
 169. *An periculum et fructus rei spectent semper ad emptorem.*
 170. *De pacto exigendi fructus usque ad solutionem.*
 171. *Si emitur pecunia aliena, aut venditur res aliena.*
 172. *De pretio justo.*
 173. *Quomodo pretium crescit aut diminuitur.*
 174. *De mercibus ultroneis; et quando potest carius vendi.*
 175. *ad 177. De venditione sub hasta.*
 178. *An si ob dilationem, vel anticipationem pretii, etc.*
 179. *De chirographis.*
 180. *De pacto retrovendendi.*
 181. *De pacto reemendi.*
 182. *De contractu mohatrae, et antichriseos.*
 183. et 184. *De monopolio.*
 185. *ad 187. De vitto rei.*
 188. *Qui novit brevi pretium fore, ut crescat aut decrescat, etc.*
 189. *De venditricibus, et proxenetis.*
 190. *Si res est vendita duobus.*
 191. *Si res perit etc.*

165. Notandum I. quod ut contractus venditionis sit validus, requiritur determinatio tam pretii (saltem remissa alicui tertio), quam rei, saltem in mensura, v. g. si venditur vinum talis dolii tanti in singulos cados: aut saltem in spe, ut cum venditur iactus retis (9).

166. Hic quaeritur an, data arrha, possit ille qui eam dedit a contractu resilire? Affirmatur, nam hæc est consuetudo. Sed secus esset, si arrha daretur tantum ad majorem cautelam. Cæterum in dubio recte dicit p. Concina (contra Croix) posse

(8) N. 792 v. 2. Usurarius. — (9) N. 794.